



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**ECCLESIASTICAE || DISCIPLINÆ || LIBRI SEX: || DE
CANONICA ET MO- || nastica Disciplina collapsa
restau- || randa, pristinoque nitori || restituenda. ||**

Schulting, Cornelius

Coloniae Agrippinae, 1599

VD16 ZV 14233

9. De Comparatione Scholasticæ Disciplinæ & Ecclesiasticæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63372)

dum Episcopum Moguntinum ex Erphordia Anno 1452. Occasionem scribendi dederat legatus Apostolicus Indulgentias anni Iubilæi annunciari. Concludit eam his verbis. Si Dominus Apostolicus & Apostolica Curia sua se reformaret vel reformatio generalis per Concilium generale fieret, facillimè membra Ecclesiæ in suo quæque statu reformarentur. Decimoquarto, Theodoricus à Nyen librum scripsit in folio de Reformatione Romanæ Curie, & M. S. idem extat in Bibliotheca Imperatoris. Porrò de Disciplina Ecclesiastica in genere & singulis eius partibus suspensione, excommunicatione, degradatione & de modo ac forma disciplinæ agit prolixè Cæsar Barotto. I. Annal. ad Ann. D. 17. Petri 13. à p. 497. ad p. 500.

CAPVT IX.

De Comparatione Scholasticæ Disciplinæ & Ecclesiasticæ.

IN vtraque praua natura flectitur & corrigitur. Melius persuadendo quam minis vel vi aut metu iuxta Terent. Mitionem in Adelphis Act. 1. scena 1. Pudore & liberalitate liberos, Retinere satius credo quàm metu. Et errat longè quidem mea sententia. Qui imperium credat grauius esse vi quod fit, quam illud quod amicitia stabilius adiugatur. Malè coactus qui officiū facit suum & que sequuntur. Lactant. de Ira Dei c. 13. puerorum peccata non coercere peccatum esse ait. In vtraque Disciplina in pluribus par & æqualis ratio est: quæ cōparatio inspectis locis prænominatis cuiuslibet facillima erit.

Pria-

Principio Rectores & Præceptores in scholis rectè in multis comparentur cum Prælati: habent enim utriusque ius virgarum, de antiquo iure Virgarum in Episcopis habes apud Cæsarem Baro. in Annalibus Eccles. to. 6. Annal. f. 577. deinde utrisque iure diuino debetur obedientia. tertio schola ipsa quoque quasi parua quædam Ecclesia, atque ita inter scholam & Ecclesiam multiplex instituti collatio posset. quarto utriusque rebelles sæpè experiuntur subditos. quinto utriusque propter disciplinam sæpè odio habentur. sexto utriusque difficilem quidem & arduam sed vtilissimam & maxime necessariam sustinent prouinciam. septimo non tam in præsentem, quam in futuram mercedè respicere & intueri debent. octauo ipsius Christi exemplum sequentur, qui vitiorum fuit obiurgator & reprehensor acerrimus. nono utriusque in fine exiguum gratitudinem sentiunt. decimo utriusque sunt positi tanquam scopi ad sagittam. vndecimo utriusque expositi sunt plurimorum præsertim improborum obloquijs & opprobrijs. duodecimo utriusque patres spirituales filiorum suorum appellantur. Disciplinam scholasticam in castigatione & punitione puerorum constitutam doctè & prolixè explicat Reueren. ac doctus D. nec minus disertus Theologus simul & I. C. D. Iacobus Middendorpius, Decanus nostræ Ecclesiæ ad S. Andræam in libris de Offic. scholast. lib. 1. c. 29. per 7. folia De castigatione & li. 2. c. 28. per 4. fol. ut castigati propter negligentiam aut vitia non offendantur, quæ omnia aptissimè ad Disciplinam Ecclesiasticam accommodari possunt.